



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm
Capitum secundæ**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Ex conscientia bona, & fide non simulata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

uirtus, qua postquam misericordiam Dei propter
 filium promissam fide apprehendimus, iam cum
 diligere & ei gratias agere incipimus, & nos ei
 subijcimus, & obedientiam iuxta omnia mandata
 inchoamus, cum quodam sensu leticiæ in Deo.
 Ut autem antea dixi prius fide purificari corda,
 ita & postea sciendum est, hanc inchoatam obe-
 dientiam etsi adhuc multæ sordes in nobis sunt, ta-
 men placere Deo propter mediatorem, nec in-
 choari dilectio potest, nec placet nisi precedat
 fides. Ideo & Paulus mox addit ex fide non fru-
 cta.

*Ex conscientia bona, & fide
 non simulata.*

Vniuersaliter hanc regulam de nostra obedi-
 entia seu de bonis operibus sciri necesse est, quan-
 quam nostra obedientia procul abest à perfectio-
 ne, & herent in nobis peccata, tamen oportet ta-
 lem esse obedientiam in conuersis, ut sint in nobis
 fides & bona conscientia, id est, propositum non
 peccandi. Hic gradus in conuersis necessarius
 est, quod & hoc dicto Pauli confirmatur, et alijs,
 ut in fr. a, Milita bonam militiam, habens fidem &
 bonam conscientiam. Et 1. Petri 3. Conscienti-
 am bonam retinentes. Item ad Corinth: Hæc est
 gloriatio nostra testimonium conscientie nostræ,

B 5 Nec

I. EPISTOLA AD

Nec simul manent hæc duo pugnancia, Actio qua uiolat homo Legem Dei sciens & uolens, Et illa fides quæ est fiducia misericordiæ accipiens remissionem, quia Iusiurandum dicit, Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Oratio copulatiua est, illa est, non fit uiuificatio fide, donec nulla sit conuersio, id est, donec aliquis habet propositum peccandi, Et talia delicta nominantur uisitate peccata mortalia, cum effunduntur Spiritus sanctus & fiducia misericordiæ, & sic lapsi, tunc sunt rei ira Dei, & æternæ mortis, iuxta illa delicta, Propter hoc uenit ira Dei super inobedientes. Nec recipiendæ sunt fanaticæ imaginationes eorum, qui fingunt semel renatos non posse rursus effundere Spiritum sanctum, cum manifestè dicatur 2. Petri 2. Si rursus superantur ab inquinamentis quæ effugerant, sunt eis posteriora peiora prioribus, Item, Qui stat uideat ut cadat, ideo simus uigilantes, ut iusticia bonæ conscientie retineatur, id est, bonum propositum.

Et fide non simulata.

Nec inchoari dilectio Dei potest, nec placent opera Deo nisi precedente fide, Ne autem fides intelligatur tantum de noticia qualis est in